altero gratiam meriturum; hæc tamen promissio necessaria est ad meritum de condigno; ergo.

Prob, secunda pars: Ex Scriptura, quæ nos hortatur, ut oremus pro invicem ut salvemur, Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Hinc Deus iratus amicis Job, eos remittit ad illum, ut pro ipsis oret, & impetret veniam peccati eorum, Job 42. *Ite ad servum meum Job,* inquit Deus, *& offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Et D. August. Serm. 1. de Sanctis, ait: *Sic ergo exauditus est S. Stephanus: ut ejus orationibus deleretur peccatum quod commiserat Saulus.* Et Serm. 2. *Si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet.*

Ratio est, quia congruum videtur, ut amicus ab amico gratiam alterius enixe & perseveranter postulans, illam obtineat.

Porrò gratia sanctificans, quam justus alteri meretur, non ei confertur immediatè vi talis meriti, sed per media ordinaria, v. gr. per actum contritionis perfectæ, quem alter elicuerit, per Sacramenta quæ susceperit, &c.

Hæc itaque per Dei gratiam, de gratia ipsa scripta, Sanctæ Romanæ Sedis judicio subjecta volo; instrui paratus, si qua in re sum falsus: corrigi, si qua lapsus: reduci, si qua devius; sic me Deus adjuvet, ac gratiæ suæ donis cumulet in terris, ut cum ipso regnare merear in cœlis.

FINIS.

REV. PAT.

THOMÆ EX CHARMES

PROVINCIÆ LOTHAR. CAPUCINOR. DEFINITORIS, CUSTODIS GENERAL. NECNON ANTIQUI SS. THEOLOG. PROFESSORIS,

THEOLOGIA UNIVERSA

AD USUM

SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATORUM.

TOMUS IV.

DE

ACTIBUS HUMANIS,

DE

LEGIBUS,

ET DE

VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.

Sumptibus MATTHÆI RIEGER, Bibliopolæ.

MDCCLX.